

205

Scholas Romæ fuisse sub dispositione Viri Illustris Magitri Officiorum testatur Notitia Occidentalis Imperii. Scholam secundam Scutariorum memorat vetus Inscriptio Cœmeterialis apud Arringhium lib. III. cap. III. n. 9. quam male de Schola fabricensium exponit, quod Reinesium non observasse miror, qui eandem Inscriptionem Cl. XX. 61. recudit. Scholam tertiam marmor Gruterianum pag. MLII. II. exhibet. Quod autem munus in Schola Scutariorum Decurionatus nomine indicetur, non ita facile statui potest. Ego quidem existimo vel decanatum significari, quia nempe Astianus iste decem militibus præflet, totidem enim milites contubernium constituebant, cui suum caput assignatum erat, ut Vegetius docet lib. II. cap. 8. *erant decani decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur*: vel honorarium titulum; in his enim Palatinis scholis milites speciosis titulis decoratos fuisse discimus ex l. *Matriculam* 3. C. *de Agent. in rebus*, qua inter cætera jubet Imperator *ne ducenarii plusquam quadraginta octo in singulis (Scholis) habeantur in posterum*; Quod nisi de honoraria appellatione intelligatur, ferri non potest. Ducenarii enim ducentis hominibus præerant Vegetio teste lib. II. cap. 8. *Item primus hastatus duas centurias idest ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc ducenarium vocant*. At si quadraginta octo illi ducenarii ducentis quisque hominibus præfuisent, singulas scholas ex octo militum millibus constasse dicendum esset, quod falsum est; non enim plusquam quadringentos milites unamquamque scholam continuisse, æquali universorum Scholarium, quorum numerum tradidit Svidas, divisione facta observat Pancirol. in Notitiam Imp. Orient. Cap. LXIV.

C L X X X.

MEROBAVDE. Hoc est anno Ch. CCCLXXVII. tunc enim primum Consulatum gessit Merobaudes cum Gratiano Aug. IV.

C L X X X I.

ANR. Xξ. *Annorum XVI.* ita enim eam notam explicandam post Reinesium docuit Fabrettus Dom. Inscr. Cap. VIII. p. 540.

CLXXXII.